



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quandò rectè vtimur nomine Dei, & quandò in vanum & malè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ad fidem veniant, alioqui damnabimur. Luc. 11. Qui me confessus fuerit coram hominibus &c. Tertius cultus exterior est glorificatio nominis Dei, ne illi committamus blasphemias & scandala, ac faciamus Deum lictorem vt perdat, qui vult omnes homines saluos fieri, 1 Timot. 2. ideo debemus nomen Dei laudare & glorificare, vt sæpè admonet Dauid Psal. 113. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, non dicit, blasphemate per illum, & Psalm. 15. Bene dicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ipsi sunt præcipui cultus exteriores Dei, inuocatio, gratiarum actio & glorificatio: hisce cultibus rectè colitur Deus foris, ad illum referuntur omnia externa, id est, ritus, cæremoniæ, cantus, Organa &c. ad glorificationem nominis Dei.

2.

**I. Modus
nominis
Dei in va-
num assu-
mendi.**

Nomen Dei in vanum assumitur primò, quando aliquid Deus nominatur, aut sic colitur & honoratur, quod tamen Deus non est, sicut olim gètes fecerunt, quæ Solem, Lunā, Stellas, Homines, Reges, Tyrannos, Deos nominârunt: quod etiā prohibet Moyses Deut. 4. Sic filij Israël nominârunt vitulum aureum deum suum, adorantes & dicentes: hic est deus qui eduxit nos de terra Aegypti, Exo. 32. Contra hoc præcepit Deus per Moysen, vt si quis hominum faceret alium Deum aut adoraret vel nominaret, quam verum Deum, vt is moriatur: si ciuitas, cõburatur & omnia deuasentur, Deuteron. 15. Deindè, quando quis conuiciatur, maledicit, & blasphemat per nomen Dei, id quod est commune & graue vitium: in nomine enim Dei debèt incuruari omnia genera, Philip. secūdo, ideo peiores sunt ipso Diabolo omnes tales conuiciatores. Nam diabolus timet sibi de nomine Dei, & inclinatur: nec ipse audet maledicere per nomen Dei. De illis igitur dicit propheta Psalmo 5. Guttur eorum sepulchrum patens: id est, sicut de aperto sepulchro fœtor scatès, indicat ibi esse putridam quippiam,

quippiam, ita ubi ex ore hominis procedunt huiusmodi maledictiones, signum est quod ibi anima demortua & impia lateat. Tertio in vanum nomen Dei assumitur, quando quis inutiles fabulas, risiones, stultiloquia aut quaestiones inanès de Deo ac rebus DEI fabulatur, ut rideant homines: sic enim nomen Dei inhonoratur. Matth. 12. De omni verbo ocioso homo reddet rationem in die iudicij. Ephes. 5. Stultiloquium nec nominetur in vobis. Etiam in vanum assumitur, quando nomen & verbum Dei sine attentione auditur in praedicatione, aut legitur oscitanter in Ecclesia aut cantatur, nam inquit David Psalmo 118. Eloquia tua super mel ori meo. Quarto, dum per nomen Dei & sancta verba Euangelij committimus incantationes, quae est mera delusio diaboli, & signum infidelitatis nostrae: permittit quidem Deus haec fieri ad probationem nostram: vult enim per hoc probare, an ipsum verè diligamus & timeamus, an in ipsum solum locemus nostram fiduciam, Deuteron. 13. Quoties igitur gloriaris, quia res tibi sic contingat, cogita tuam perfidiam: & quod sic Deus hoc permittit diabolo, eò quod tu derelicto Deo, ad ipsum confugis, quod aliquando aliquid contingit verum, ita tandem permittet, quod ipse daemon, quem inuocasti, tibi praemium reddet. Fugienda est igitur omnis incantatio, maximè, ubi nomen Dei dehonestatur. Quinto, nomen DEI in vanum assumitur, quando peritium committitur, de quo in alio capite dicitur. Cauendum est igitur maximè, ne nomen Dei à nobis in vanum assumatur.

Deus huiusmodi praeepto adiecit poenam quae spectat ad transgressores, nam dicit: Non enim habebit in fontem, id est, innocentem Deus cum qui nomen suum in vanum acceperit: haec comminatio valde terribilis est, est enim nomen Dei sanctum, idèd vult, ut etiam à nobis sanctificetur, id quod Christus ipse

III.

IIII.

V.

3.